UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis Imperatrix S. Otho Episcopvs

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXX. De destructione fanorum & simulacrorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Visual Library

ditis; ſcio, quòd timetis dæmones inhabitatores fanorum ac ſculptilium veſtrorum, & idcirco non audetis ea comminuere; ſed pace veſtra ſit, vt ego ipſe cum fratribus meis Sacerdotibus & Clericis ſimulacra & continas illas aggrediar; & ſi nos Crucis ſanctæ ſignaculo præmunitos, illæſos permanere videritis, eodem crucis muniti trophæo, vos omnes nobiſcum in ſecuri & aſcia exciſis ianuis & parietibus deiicite illas & incendite.

De destructione fanorum & ſimulacrorum.

CAPVT XXX.

Sefridus.

QVod cum audiſſent, & annuiſſent, Epiſcopus & Sacerdotes, celebratâ miſsâ & accepta communione armati ſecuribus & harpis continas aggrediuntur, & fana comminuentes & excidentes, omnia ſcandentes tecta & conuellentes. Stabant autem ciues aſpicientes quid Dij facerent miſerrimi? Vtrum nam tecta ſua defenderent, nec ne? At vbi destructoribus nihil mali euenire vident; *ſi*, inquiunt, *aliquid diuinæ virtutis haberent, iſti, quorum ſacra & templa conuelluntur, vtique defenderent ſe. Si autem ſe defendere, aut ſibi prodeſſe non valent, quomodo nos defendere, vel nobis prodeſſe poterunt?* Et hæc dicentes, facto impetu, diruunt & comminuunt omnia, ipſamque lignorum materiam inter ſe diripientes ad domos ſuas in vſum foci coquendis panibus & cibis comportabant; & quia plus rapienti, plus habere fas erat, omnes illæ *continæ* numero quatuor, mira celeritate confractæ ſunt, ac direptæ.

Destruuntur Templa Idololatrica.

Tiemo. Quare illa templa vocabant *Continas?*

Quid ſit Cōtina? *Cram. Prædicans lib. 1. Chronici ca. 21.*

Sefridus. Sclauica lingua in plerisque vocibus Latinitatem attingit, & ideo puto ab eo, quod eſt continere, *Continas* eſſe vocatas.

Continas *interpretatur*, gemeine Häuſer vnd Wirtſchafften/zu dem end verordnet/daß man darinn gewiſe Zuſamenkunfften/Feſte/ vnd dergleichen Geſellſchafften begienge.

De